28


Antidotum contra Discordiæ conjugalis venenum,

SEU

Disputatio Inauguralis

DE

STABILIENDA PACE INTER CONJUGES



QUAM

DEO OPTIMO MAXIMO AUSPICE,
Decreto & Authoritate Nobilissimi & Amplissimi JCtorum Ordinis in Illustri Academia Hasso - Schaumburgica,

PRÆSIDE

DN. DAVIDE PESTEL,

JCto, ac in Academia hac Codicis & Feudorum Professore & Facultatis suæ Seniore, Præceptore ac Patrono suo devenerando,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES & privilegia consequendi,

PUBLICO ET SOLENNI EXAMINI EXPONIT

LUDWIG SCHNELL

In Collegio ICtor. ad diem Ian. horis ante & pomerid.




RINTELII, Typis Wachterianis. 1667.



In Nomine Dni JESU CHRISTI

Th. I.



Uptiarum dignitas ex multis causis est conspicua, quippe cum societatem conjugalem DEUS in Paradiso, in statu innocentiæ adhuc homine vivente, instituerit, quod de cæteris societatibus non facile quis prædicabit. Deum autem societatem conjugalem sanxisse, præter sacras literas & scripta saniorum Ethnicorum, quibus sacræ Pandectæ incognitæ, ostendunt, uti Dionysius Halicarnassæus, vera Dei cognitione destitutus, matrimonii inventionem Diis tribuit, & eximia sunt verba Grotii *ad Epistol. ad Hebræos cap.13.v.4* ubi ait: apud omnes gentes moratas honor est conjugio, ac nec DEO thorus displicet. Et dignitatem illam splendidiorem facit, quod Christus nuptiis interfuerit, unde

venerabilis Beda *super Iohannem* rectè colligit: Si thoro immaculato vel nuptiis castè celebratis culpa inesset, Dominus nequaquam eos signorum suorum initiis consecrâsset; Cui accedit Chrysostom. *Homil. 4. in Esaiam*, ubi inquit: Christus, licet virgo, nuptias accessit utque & mater & discipuli, imò nuptiali munere commendavit, ne quis nuptias abominaretur.

II.

EJusdem præstantiam etiam exhibet ejus necessitas & summa utilitas, quippe quæ ab interitu genus humanum quasi vindicat, matrimonium enim sic honestum est, ut humano generi videatur immortalitatem artificiosè introducere, & ex filiorum procreatione renovata genera maneant. Justinian. *Nov. 22. in pr.* & eadem penè habet in *Nov. 140* ubi hæc ejus verba: Nihil in rebus mortalium perinde venerandum est atque nuptiæ, ex nuptiis fiunt liberi & omnis familiæ series, indeque fit optimæ Reipublicæ coagmentatio.

III.

QUamvis autem conjugium tam honestum tam sanctum sit, tamen non caret suis difficultatibus, tum quòd fortuna adversa sæpius luctum & alia mala accersat, tum quod bona mulier sit res inventu difficilis, Accurs. *ad l. ex his ff. de LL.* & hinc dissidia, imò aliquando & odia conjugale fœdus turbent, de quo Juvenal. *Satyr. 6.*

Semper habet lites alternaque jurgia lectus
In quo nupta jacet, minimum dormitur in illo,
Plus fellis, quam mellis habet.

Prætereamus molestias quas proles creare solet, quod & Impp. Theodosium & Valent. movit, ut matrimonium tot & tantis difficultatibus opprimi rescripserint in *l.*

in *l. un. C. de imponend. lucrat. descript.* & Divus Hieronymus gravem premere illud sarcinam docuit, allegante eum text. in *c. omnes Caus. 32. q. 7.*

I V.

Non tamen fas est ob illa incommoda vitam conjugalem abominari, vel cum quibusdam male sanis statuere, duos tantum in matrimonio dies esse jucundos, unum cum uxor ducitur, alterum cum mortua effertur, cum nulla pars vitæ humanæ, nullus status, nullum genus incommodorum sit expers, & verum sit illud Poetæ:

Sunt mala mixta bonis, sunt bona mixta malis.

Et cælibatum ac statum solitarium sua habere incom moda, ostendit Ecclesiast. *c.4. v.9.* ubi antecedentia in modum hunc concludit: Melius ergo est duos esse simul quàm unum, habent enim emolumentum societatis suæ, si unus ceciderit, fulcietur ab altero; Væ soli, quia cum ceciderit non habet se sublevantem, & si dormierint duo, fovebuntut mutuò, unus quomodo calefiet? A quo non abludit Metellus Numidicus *in oratione quam Censor habuit*, Si sine uxore, inquit, Quirites, possemus esse, omnes ea molestia careremus, sed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis satis commode, nec sine illis ullo modo vivi possit, saluti perpetuæ potius, quam brevi voluptati consulendum.

V.

Hinc etiam est, quod legumlatores præter cæteros rerum prudentia spectatissimi, in multitudine Civium non minimam Reipublicæ felicitatis partem ponentes, πολυπαιδείας præmia invenerint, sed etiam qui illos, quibus ob pene infinitas molestias conjugium exosum videbatur & præmiorum invitatione se duci nō pa-

tiebantur, multis & pœnis affecerunt. Hinc Censores Romani, quorum munus inter cætera fuit, populi ætates, soboles, familias censere, cælibem vitam prohibuerunt, Cicero *lib. de Legib.* & apud Romanos culpabile erat liberos non habere, & cælibem ad senectutem pervenire, nec cælibes quicquam ex Romanorum testamentis poterant capere. Gœdd. *ad l. 128. d. V. S.* de quo Juvenalis *Satyr. 6.*

Jam pater es, dedimus quod famæ opponere possis,
Jura parentis habes, propter me scriberis heres,
Legatum omne capis, nec non & dulce caducum,
Commoda præterea junguntur multa caducis
Si numerum, si tres implevero.

Lacones c njugalem vitam ultra tempora à lege præscripta differentes, omnibus vestibus spoliatos, media bruma forũ obire cogebant. Plutarch. in *Lycurg.* In ditione Palatinatus Odenwaldt/ qui cælibes excesserunt vigesimum quintum ætatis annum dicuntur Hagenstelzen/ & eorum bona fisco applicantur.

VI.

NOn tamen nimis ad nuptias properandum, sed ubi & quam & qualem & quo genere satam quis ducturus sit, dispiciendum, & quod caput est, cum Deus omnia ex alto provideat, illum oportet implorare, ut illorum, quos in studium pietatis, honesti & omnis solidi boni, conspiraturos, quæ est ipsius infinita providentia, providet animos, hoc vinculo jungat, Diaboli, quæ est ipsius in nocendo humano generi industria, insidiis repagula struat, & mala corporis ac animi arceat. Qua de causa veteres pij ad oratoria confugiebant, & sua desideria in Ecclesia proponi faciebant, uti videre est vel ex illis quæ antiquissimus Tertullianus, qui vixit in fine seculi

secundi

ſecundi ad uxorem habuit: Unde ſufficerem ad enarrandam felicitatem ejus matrimonij quod Eccleſia conciliat,& oratio confirmat, & obſignatum Angeli renunciant,pater pro rato habet, Baron. *Obſerv.A. C.57.*

VII.

UNde etiam haud dubie profectum, quod conjugiis in Eccleſia publicè benedicatur, quem morem jam & ævo Ambroſij fuiſſe receptum, oſtendit *Epiſtola* 70, qua conjugium velamine ſacerdotali & benedictione ſanctificari oportere, docet; Et idem Concilium Carthaginenſe celebratum Anno Chriſti 398. cui Divum Auguſtinum interfuiſſe putant, *Can.* 13, ſanxit. Quod tamen non eſt accipiendum, quod Sacerdotalis copula de nuptiarum eſſentia ſit ita,ut eâ omiſsâ matrimonium quoque ſit nullum, cum propter conſenſum & ante benedictionem Canoniſtis perfectum dicitur, docente hoc uberius Dn. Struv.*Exerc.29.th.26.* Veluti etiam ob eam quod uxorem ducere cauſa eadem ſit, etiam apud gentes ſponſalia nuptias præceſſerunt, de quo more venuſtè Auguſtin. *lib. 4. confeſſ.* Inſtitutum eſt, inquit, ut pactæ ſponſæ non ſtatim tradantur, ne ſponſus vilem æſtimet datam, quam diu ſuſpiravit dilatam: quod tamen etiam non porrigimus eò, quaſi ſponſalia neceſſariò præcedere debeant, cum etiam nullis præviis ſponſalibus nuptiæ ſuum robur habeant, non attento quod Imperator Alexius Comenus ſuo ſeculo prohibuit, nuptias & ſponſalia ſimul eodem die & eadem hora peragere, ſed illa tempora ſecerni juſſerit. Tempore ſanè Eccleſiæ Judaicæ ſponſalia neceſſariò non præceſſiſſe, conſtat ex hiſtoria Tobiæ, & illis, quæ habentur *1. Samuel. 25. 40. Indic. cap. 14. v. 8.*

VIII.

VIII.

DEI auxilio & consilio implorato, oportet in eligenda uxore eò accuratiorem, quò majus subest erroris periculum, & quò arctiori vinculo conjugum animi sunt vinciendi, adhibere deliberationem. Matrimonium quippe definitur individua vitæ consuetudo, non solùm propter arctissimam conjunctionem, quæ est inter conjuges, sed etiam propter inseparabilitatem, cum ex voto contrahentium sit perpetuum, licet ex accidenti aliquando eveniat separatio, Bachov. *ad* §. *nuptiæ.1. Inst. de Patr. potest.* Unde proverbium vulgare, **Weiber nehmen ist kein Pferde Kauff/** & levitas hodie ducendi uxorem & cras divertendi ab uxore, omnibus penè moratioribus populis improbata, quibus etiam non placebit, quod Strabo *Lib. 2.* de Catone Uticensi scribit, cum nimirum uxorem suam Martiam concessisse Hortensio liberorum causa, modo id verum sit. Nec censemus tolerandam eåe opinionem Anabaptistarum, non verò omnium, sed quorundam, qui quoad Baptismum usque ad annos ætatis integræ differendum cum reliquis faciunt, at in communione omnium bonorum, imò & uxorum, asserenda sunt singulares, quam opinionem etiam Platonis fuisse referunt, quam ut fanaticam Orthodoxi meritò rejiciunt, Vid. quos cit. Parens meus Piæ memoriæ *in Justinian. Controv. Disp.9. th.3.* pugnatq; ea cum prima institutione quæ duos voluit esse in carne una *Genes.2. vers.24.* Ex hac individua vitæ conjunctione non oportet rerum comunionem inducere, quamvis enim per nuptias divina & humana jura communicentur, Modest. *in l. 1. d. Rit. Nupt.* & societas vitæ quodammodo dominam uxorem faciat, Paul. *l. 1. ff. d. act. rer. amot.* & per conjugium familia

sit

ſit commixta & una domus, Ulpian. in *l. 1. §. 15. Ad SCt. Silan.* unde alter conjugum alteri aliquid ſurripiens, non dicitur furari *l. 1. l. 2. & tot. tit. rer. amot.* & uxor incola ejusdem civitatis eſt, cujus eſt maritus *l. fin. §. 3. ff. ad Municip.* tamen conjugum bona non ſunt comunia, nec enim viri ſervi propriè ſunt ſervi uxoris per text. *in l. 1. §. 15. ff. Ad SConſ. Silan.* Petr. Peck. *de Teſt. conj.* Covarr. *d. matrim. part. 2. c. 7. §. 1. n. 5.* Imò bona conſtante matrimonio acquiſita ſolius ſunt mariti *l. Quintus. 51. ff. de donat. int. vir. & uxor.* Lopez. *de lucro conſtant. matrim. acquiſ. c. 4. n. 1. 2. & 15.*

IX.

INter illa, quæ circa eligendam uxorem attendenda monuimus, primo loco poſuimus, quod generis ſit habenda ratio, ut ducatur ea, cujus parentes ſint honeſti & veri amantes, in pietate induſtrii, in virtutum exercitio alacres, caſtitatis ſervantiſſimi, œconomicæ virtutis & eorum, quæ in homilia & converſatione ſunt laudi, ſtudioſi. Liberi enim cum primo lacte imbibunt naturam parentum, illorumque improbitas ferè in liberis reſidere præſumitur *l. 1. §. 1. C. Ad Leg. Jul. Majeſt.* Mali enim corvi malum ovum. Quò facit, quod Phavorinus Philoſophus apud Agell. *lib. 12. noct. att.* nobili fœminæ ſuadet, ne patiatur ali fœtum lacte nutricum vel aliàs alieno, quia ſcilicet hoc pacto non raro nobiles alioqui naturæ ſoleant ducere ſpiritum contagioſum in animum atque corpus ſuum ex corpore & animo deterrimo. Agell. *d. l.* ubi multa pulchrè huc facientia affert. E contrà conſentaneum eſt, virtuti addictorum liberos probè eſſe educatos & virtutis paternæ futuri imitatores,

Dos magna Parentium Virtus.

Quo etiam pertinere videtur, ut is, qui de thori ſocia ſi-

bi aſciſcenda ſollicitus eſt, generis æqualitatem, quantum poteſt fieri, reſpiciat, juxta illud:

Si qua voles aptè nubere, nube pari.

Etenim haud raro accidit, ut ducens uxorem genere longè ſuperiorem, dominam patiatur, non uxorem, utpote obſequi neſcientem. Tales namqe ignobilis mariti contemptum inducere, & ſervum intueri non conjugem, toto die videre eſt. Hinc talem conjugem ducentes, vivi manes ſuos patiuntur, & damnati miſeriarum ad æternos proruunt cruciatus.

X.

Lege XII. Tabb. referente Dionyſ. Halicarnaſſ. diſertè fuit cautum, Ne Patriciis cum plebejis eſſet connubium, idque ab Appio Claudio Decemviro poſtremis duabus tabb. additum fuit, Liv. *in hiſt. lib. 4.* Nec non lege Julia de maritand. ordinib. cautum fuit, ne Senator vel Senatoris filius, nepos vel pronepos duceret libertinam, nec cujus pater materve artem ludicram exercerer, *l. Oratione D. Marci. 16. in pr. l. 44. l. 47. ff. d. R. N.* quæ tamen à Juſtiniano ſunt temperata, vid. Marpurg. *Vol. 3. conſ. 34. n. 1.* & hodie non obtinent, Rittershuſ. *lib. 1. different. c. 23.* Zypræus *in not. jur. belg. de ſponſalib. in pr.* Vinnius *Comment. ad Inſt.* §. *11. de Nupt.* Verum conſiſtere quidem poſſunt tales nuptiæ, at non ſunt commodæ, non ſunt ſine periculo; de illo agit apud Barclai. *In Argenid. p. 1. lib. 3.* Rex Meleander, ubi ait: Privatorum eſt eligere matrimonia ex amicitiæ affectu, vel morum concordia, Nobis illa ſuavitas exuenda eſt; Regum enim fortuna eſt, ut nunc indignos & exoſos per ſanctiſſima fœdera ſibi conjungant, nunc omnium nexuum jura, omniſque ſanguinis charitatem, in humana neceſſitas negligat. Chariſſimus eſſe ſolet, qui utilitate

tate

tate præcipua potentiam noſtram alit, & affinitates pulcherrimæ cenſentur, quæcunque regnum ſtabiliunt. Et paulo poſt pergit: Scio à Regibus ſæpe filias aut ſorores ſpargi in eos, quos fallere amicitiæ ſpecie volunt, vel ad tempus placare, nihilque deinde ſui ſanguinis pignoribus, nihil nominum quæ mutuo inierunt, reverentiâ motos, pacem ac bella ex temporum & fortunæ ingenio æſtimare. De hoc parata ſunt exempla aliqua triſtia, conſtat enim inter alias cauſas, cur Ericum fratrem Regem, Johannes Finlandiæ, & Carolus Sudermanniæ Duces regno privârint, hanc adferri, quod in auditâ levitate & imprudentia, Catharinam, militis viliſſimi filiam, Hamelman. *Chronic. Oldenb. p. 2. c. 16.* ex concubina contra omnem honeſtatem in uxorem duxerit, ſolenniter in templo coronâ regali ei impoſita. Thuan. *hiſtor. lib. 43.* qui poſtea in conclave quoddam arcis cum conjuge incluſus & cuſtoditus eſt, referente Chytræo *in Chron. Saxon. lib. 22.* Uladislaus Jagello quoque Poloniæ Rex, eò quod ſe pari matrimonio Eliſabethæ Pileciæ, Ottonis Palatini Sendomirienſis filiæ, obſtrinxit, nomini ſuo non modo apud ſuos, verum etiam apud exteros plurimum detraxit, ut Concilium quoq; Conſtantienſe eâ famâ, traducentibus cruciferis impleret.

X I.

NOn intempeſtivè hic quæri poteſt; An Princeps Imperii in bonis gentilitiis aut juri primogenituræ ſubjectis, ultimo elogio hanc conditionem adjicere poſſit, ut filius aut ſucceſſor ejus, uxorem ducat ex hâc vel illa familia Illuſtri, aliàs primogenii ſucceſſione privetur? Non deſunt, qui ſatis confidenter ſtatuunt, hanc conditionem eſſe validam, quorum ſententia legibus comprobari poſſe videtur. *l. 15. ff. de condit. & demon-*

ſtrat. Johan Baptiſta Larrea *deciſ. Granat. 46.n.23..p.1.* vid. *l. 1.C. de Inſtit. & ſubſt.* ibique Sichard. Barboſ. *in Collect.* Wiſſenb. Brunneman. Accedit exemplum Iſaaci, qui filio ſuo præcepit, ut acciperet uxorem ex familia Laban, Gen. *c..28.* Ludov. Molin. *de Majorat. lib. 2. c. 13. n. 1. & ſeqq.* Baſil. Pont. *de matrimon. lib. 3. c. 6.* Knipſchild *de fideicomiſſ. famil. c. 6. n. 387. & ſeqq.* Galganet *de Condit. part. 1. c. 8.* Verum licet hæc argumenta non parum ponderis in ſe habeant, Negantem tamen ſententiam veriorem Putamus, moti hoc argumento: Quæ bona filii non ex beneficio patris, ſed ex pacto & providentia primi principis acquirentis poſſident, in illis à patre pœnali aliquâ conditione, libertati nubendi contraria, gravari non poſſunt. Atqui illa bona gentilitia filii non poſſident ex beneficio patris, ſed ex pacto primi acquirentis &c. Andr. Knichen *de pact. Inveſt. part. 2. c. 5.* Dn. Struv. *Syntag. jur. Feudal. cap. 4. th. 12.* Hartm. Piſtor. *lib. 2. q. 1. n. 10.* Ergo. *E*t profecto inſignis eſt differentia inter ea, quæ à patre, & ea quæ ex providentia primi acquirentis ad filium pervenerunt, uti benè reſpondit Alphen. *in l. eum qui 3. ff. de Interd: & Relegat.* Hinc Caſſiodor. *lib. 4. var. reſcript. 10.* ſcribit: filius obligationibus paternis ſi non hæres, exuitur, Rus dorff. *in vindic. Palat. c. 12. n. 2. & ſeqq.* Ex quibus rectè concluditur, quod parens naturam & proprietatem illorum bonorum diſpoſitione paternâ immutare nequeat. Molina *de Majorat. lib. 1. c. 8. n. 10.* Goldaſt. *eod. tract. lib. 3. c. 16.*

XII.

Ante genus & parentes electos propriæ virtutes in ducenda maximè ſpectandę ſunt, commendat enim aliquem quidem majorum claritas, ſed magis propria virtus, Bodin. *lib. 3. de Republ. c. 8.* Et virtus in antiqua nobilitate

tate fulget velut gemma in auro, & juxta Taubmanni in Epigram.

Is meruit veræ ſibi nobilitatis honorem
Quem genus & genii nobilitavit honor.

Et hic ſummo in ſolio collocamus pietatem, omnium virtutum Reginam *arg.l.inter claras C.d.ſumm.Trinit.* quæ eſt radix & fundamentum, & habet promiſſionem hujus & futuræ vitæ. Pietas autem conſiſtit in verâ Dei notitia & cultu. Noſſe Deum, inquit ſapientia, conſummata eſt juſtitia, & ſcire virtutem ejus radix immortalitatis, Sapient. *c.15.v.3.* Sapientia præcedit, cultus ſequitur, quia prius eſt Deum ſcire, conſequens colere. Lactant. *lib. 4. Inſtit. Divin.c.4.* Poſt quam ſecundũ locum meretur verecundia & caſtitas, præcipuum mulierum ornamentum, & quæ ſola utique eſt, quæ poteſt cum fiducia animas hominum Deo præſentare, Juſtinian. *Novell.14.§.ſancimus.* Francis c. Viv. *lib.3. deciſ 454. n.11.* Quibus dotibus ſi accedat forma ſecundum Ariſtotelem teſte Laert. in vita Ariſtot. *lib.5.* muta hominis commendatio, animo pulcherrimo pulcherrimũ domiciliũ & pulchro hoſpite pulchrã domũ habitante, eſt ad quod amandum homo pronior e ducitur animo, juxta illud Poëtæ: Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus; ſi autem forma animi dotibus non ſit ſtipata, uti ſæpe contingit, dum forma etiam præſtans inſignem improbitatem animi & mores execrandos obnubit, uti Poëta canendo exprimit:

Sæpe etiam occuluit pictâ ſeſe hydra ſub herba,
Et nivea irrepſit furialis lilia vermis,
Quin animus nequam atque occulto crimine plenus
Sub ſpecie formæ incauto ſe ſæpe marito
Vendidit, & miſerè tulit invida jurgia lecto.

Ut prætereatur, ob bonum fragile & quod ipſum tempus diminuendo carpit, non eſſe amorem alicui addicendum. Et quæſo, quomodo ſibi conſulit ille, qui hodie juvencam, invitatus ſolâ illius lepidâ formâ ducit, anno exacto ob morbum corpus excedentem omni venuſtaté ſpoliandam? Proba, pudica œconomicæ adminiſtrationis gnara, eſto ducenda, cujus dotes, ſi formæ lepos cumulet, magis amabilis erit, quam etiam munditiei ſtudere non prohibebimus, aſt ut corollaria hæc duo habere fas eſt.

XIII.

NOn tamen hæc ſufficiunt, inſuper oportet ætatem ducendæ & ducentis inſpicere, circa quam & leges & ſapientum opiniones variant. Ante Juſtinianum noſtrum Imperatorem, optimè de jure meritum, non certis erat incluſa annis, ſed ex inſpectione corporis de eâ judicabatur, teſte eodem noſtro Imperatore (cui præcedentium ſeculorum mores ſatis experto, plus fidei tribuendum, quam aliis qui nodum in ſcirpo quærere non verentur) Juſtiniano autem placuit tempus in maſculis ad ducendum decimo quarto, in fœminis ad nubendum duodecimo definire anno, perhibentibus illud *text. in princ. Inſtit. d. Nupt. l. 4. d. R. N. l. 4. d. Condit. & demonſt. l. pen. quand. dies legat.* cum hoc tempore ipſa ætas pubeſcat, & vis generationis in maſculis moveatur, & fœminarum purgatio plerumque incipiat. Macrob. *in ſomn. Scipion. lib. 1. c. 6.* Ariſtot. *5. Polit. 17.* Et quamvis malitia ætatem aliquando ſuppleat, uti habetur *c. 6. & 9. d. deſponſat. impub.* de quo caſu apud Ariſtophanem illa loquitur.

Ego enim ipſa primum, ut ne alia dicam
Conſcia ſum mihi ipſi multorum malorum. Illud
verò certè

In-

Indigniſſimum eſt, cum ſponſa fui tres dies, (cus
Et maritus apud me erat dormiens, erat mihi ami-
Qui quidem me vitiavit ſeptem annorum exi-
ſtentem.

Et fœminas quasdam ſeptimo ætatis anno parere, notat Plinius *lib. 7. c. 2.* & apud Indos Orientales ſeptennio minores parere, narrat Nobil. Mandelslo *in Epiſtola ad Olearium*, ſubjecta ab ipſo deſcripto itineri in Perſiam ſuſcepto, tamen terminus ille à noſtro Juſtiniano juxta illud quod communiter fit, præſcriptus, regulam meritò conſtituit. Ariſtoteles quidem etiam à Juſtiniano diſcedit, & maribus poſtquam annum 36. ſuperarunt, puellis verò poſt decimum octavum annum conjugia permittit, quod nimirum uterque ſexus eo tempore ſuis viribus plane auctus exiſtimetur, & hoc monitum eſſe ſapientiſſimum cenſet Carpz. *lib.2.Iurispr. conſiſt.tit. 1. def. 12.* & proinde Harpr. *d. Nupt. n. 14.* imprudentiæ iniquè Ariſtotelem inſimulat: nobis tamen pluris eſt Juſtinianus, legislatoria authoritate pollens. Quibus conveniens eſt, quæ habet Tertullianus Juris Romani peritiſſimus *in diſp. de virginib. veland.* interpretans Apoſtolum de mulieribus *I. Corinth. II. v. 6.* ubi dicit: Non exſpectandum dum virum paſſæ ſunt, neque verò ſtatim ubi natæ ſunt, dici mulieres, ſed ex quo ſe intelligere cœperunt, & cenſum naturæ ſuæ intrare. Grot. *in flor. ſparſ. ad Ius Iuſtinian.* Ad quam ætatem verò matrimonia licita ſunt, jure definitum non eſt, hoc certum, quod non ſolùm generatio prolis, ſed etiam humanitatis ſolatium conjugii finis ſit, per text, *in c. nuptiarum. Cauſ. 27. q. 1* id quod movit D. Chryſoſtomum *in Orat. 3. ad uxorem* ut non tantùm lecti conſortem, verum etiam conſilij & operum totius vitæ cooperatricem vocitârit, & hinc

ſexa

ſexagenarius cum juvencula matrimonium inire non prohibetur, cum D. Carpzov. ſic ſtatuente Dn. Struv. *Syntagm. Iur. Civil. Exerc. 29. th. 27.* exemplum præbente, Rege Davide, qui ſenio effœtus conſilio procerum puellam Abiſag uxorem duxit *1. Reg. 1.*

X I V.

Spectavimus hactenus in ducenda genus, mores, animi ac corporis dotes, ſed cum fortunæ bona vitam quoque afficiant & reddant beatiorem, cætera ſi augeat dos ampla, conjugium erit exoptatius. Circa dotem autem nec omnium populorum, nec omnium hominum eadem mens vel idem judicium. Quidam uti nihil magnifaciunt, niſi divitias, ita an ducenda è radice pullularit eximiâ an virtutibus fulgeat, an formæ decus ejus amorē provocet, plurimi penſi non habent, modo arca rerum gerendarum nervum poſſideat ponderoſum, ſcilicet illis

Et genus & formam regina pecunia donat, & haud dubiè verum eſt illud Plauti quod habetur *in Perſa act. 3. ſc. 1.*

Tace ſtulta, nam tu nunc hominum mores vides
Quojusmodi? Hic cum mala fide facilè nubitur.
Dum dos ſit, nullum vitium vitio vertitur.

Quo facit illud Ovidii *2. de remed. amor.*

Cur nemo eſt Hecalem, nulla eſt quæ ceperit Irum,
Nempe quod alter egens, altera pauper erat.

Contra fuerunt, qui dotium luxuriam ſuis legibus coercuerunt, ita Maſſilienſes centū aureorum ampliſſimam dotem eſſe voluerunt. De Indorum nuptiis ſcribit Arrianus: Nubunt, nihil nec dantes, nec accipientes, ſed quotquot jam viro maturæ factæ fuerint, adducuntur

à pa-

à parentibus in publicum, ut is qui pugillatu aut alia quapiam virtute antecelluerit, eam sibi, quam volet; eligat. Similiter de Spartanis Ælianus *lib. 6. Variar. histor. c. 6.* perhibet, illis fuisse legem, ut matrimonia nulla intercedente dote contraherentur. Et apud Guevarr. *lib. 2. horol. Princ. 19.* M. Aurelius Cæsar loquitur: Ego Romæ vidi, qui si bis mille in censu domi habebant, plus quam ter mille stultitias in capite circumferebant, semper audivit maritus illud Plauti *in Aulul. act. 3. sc. 5.*

Equidem dotem ad te attuli
Majorem multò, quam tibi erat pecunia,
Ideo mihi æquum est purpuram atque aurum dari,
Ancillas, mulos, muliones, pedissequas.

Et verissimè ait Satyricus:

Libertas emitur, veniunt à dote sagittæ,
Intolerabilius nihil est, quàm fœmina dives.

Conveniunt quæ habet Syracid. *c 25. v. 30.* juxta versionem Lutheri, **wo das Weib den Mann reich machet und ernehret / da ist immer Hader und Verachtung.** Nec hinc abhorrent quæ habet Petrarcha *lib. 1. de remed. utriusque fortun. dial. 64.* ubi ait: Dos & forma superbiæ conjugalis sunt stimuli, & ubi dos ingreditur magna, ibi libertas egreditur, quod si cara fuisset, ullo pretio vendita non fuisset. Uti hi dotium abusu moti illas quasi proscriptum eunt, ita illi nimia divitiarum siti impediti quid solidè utile non gustant; proinde mediâ viâ incedere oportet, quæ hæc est, ut dotem reliquis postponamus, si autem illis junctâ simul poterimus potiri, illam non fastidiamus. Incrementa dotis felicissimè senserunt plurimi, imò & familiæ Serenissimæ cum suorum posterorum gloria & honore expertæ sunt fru-

ctum provinciarum, nuptiarum glutine conjunctarum, inter quas Austria & Belgium præcipuè eminent, unde aptissimè JCtus *in l. 9. §. si quis indebitum ff. de condict. caus. dat.* inquit: Maritus suum negotium gerit, cum de dote sibi cavet, & decipiendus non est, quod fit, cum uxorem indotatam habere cogitur; Et Legislatores Romani magna cura egerunt, ne mulieres essent indotatæ. Nec jus Canonicum abhorret, quippe quod sponsas legibus dotari voluit *c. 1. caus. 30. q. 5.* & nullum sine dote fieri conjugium, sed juxta possibilitatem fieri dotem, nec quemquam sine publicis nuptiis nubere vel uxorem ducere debere, sanxit Concilium Arelatense *c. 6. caus. 30. q. 5.* Non abimus hinc inquisitum, An æqualitas dotis & donationis propter nuptias esse debeat? Eandem exigit Plato, & imitatus eum fuit Justinianus in *Auth. AEqualitas C. de pact. conv. tam sup. dot.* & *Auth. Dos data C. de donat. ant. nupt.* quibus juribus tamen per contrarium usum derogatur.

XV.

HActenus sollicitos nos habuit matrimonium ineundum, non minor autem cura esse debet circa illud jam initum, ut nimirum caveatur, ne ille fervor, quo nuptiarum Candidati æstuare solent, in teporem, imò in frigus abeat. Ad fovendum autem illum amorem, imò magis excitandum, faciet mutui obsequii studium, certamen in reciproca veneratione, & præstatione illorum, quæ lectus conjugalis desiderat. Non enim putamus illa castitatem à quocunque desideratam expellere, uti quidam nuptiarum osores contendere non sunt veriti; Quod Apostolus permittit, & à quo Conjuges non vult abstinere, illud sanè non pugnat cum Castitate, non cum honestate: At Paulus *in Epist. 1. ad Corinth. 7. v. 3. & seqq.*

seqq. non vult, ut conjux conjugi copiam corporis sui intercipiat. Inde sequitur, conjugem conjugi corporis sui copiam facientem, non facere quod offendat honestatem. Si inter conjuges ita conveniat, non improbamus illud, sed laudem debitam paciscentibus tribuimus, modò familię propagandæ eos defuisse accusari non possint, cum Deus conjugium voluerit esse medium, quo genus humanum multiplicetur: Si conjuges non studio evitandi impedimēta à vitæ sanctitate avocantia, sed aliis ex causis consuetudinem conjugalem deseruerint, vix est ut illorum gloriæ & laudi aliquid non decedat. Inter illos, qui conjuges ex mutuo consensu à consuetudine conjugali abstinuere, Principes exstiterunt Martianus Imperator & Pulcheria Augusta. Mortuo enim Theodosio fratre, Pulcheria se & Imperiū ea lege & conditione Martiano promisit, ut præstito Juramento polliceretur, se futurum ejus virginitatis Custodem; Martianus cum imperio accipit conjugem virginem, & fidem & virginitatem illi quoad vixit, sanctissimè servans; ratio quæ Pulcheriam movit ad eam petendam erat, quia ante nuptias votum perpetuæ virginitatis edidisset, Sozomen. *lib 9. Ecclesiast. histor.* Et Evagrio *lib. 2. c. 1.* Memoratu dignum videtur, quod Gregorius Turonensis, qui vixit Seculo VI. *de gloria confessorum c. 32.* tradit, Par conjugum fuisse, qui in virginitatem consenserint & castissimè vixerint, defuncta Conjuge Maritus in exequiis tumulum accessit, dicens: Gratias tibi, O Deus, ago, quod uxorem tibi virginem modo restituam: Cui uxor è tumulo subridens respondit, Sile vir Dei, sile, cur nemine interrogante arcana nostra prodis; sed hoc forsan Gregorius ex simplicitate ita retulit. Porrò Historici Henricum Secundum & Kunigundem mirificè commendant,

 quod

quod post contractas nuptias juratum pactum inierint, se quidem unâ victuros, sed nunquam nec alteri nec sibi invicem concubituros, quod pactum sanctè & mirabiliter servarunt. Suspecta aliquando Kunigunde de violato nuptiarum fœdere, in solemni Principum conventu, septem vomeres candentes sine ulla manuum læsione & noxa Cæsari apportavit, innocentiam miraculo professa; Vid. Aventinus *lib. 4. annal. Bojorum* & Alberti Crântzii *histor. Saxon.* Ex Octavo Seculo referri potest Edeldreda, quæ bis nupta, in utroque matrimonio virgo perstitit, primus enim maritus ob malam valetudinem statim à nuptiis vita excessit, posterior Egfredus, audiens in thalamo sponsam Christo virginitatem suam consecrâsse, cum ea congredi noluit, nec diu post, marito consentiēte, Edeldreda in monasterium secessit. Polydor. *lib. 4. histor. Anglicar.* Vid Grot. *ad Epist. 1. ad Corinth. 7. v. 5.* ubi ponit, ex consensu semper posse abstineri, quantum jus conjugum attinet, volenti enim non fit injuria, & eam continentiam sibi indixisse Christianos nonnullos ex Salviano refert. Æterno encomio digna est Elisabetha Gonzaga Mantuana, Urbini Ducissa, de qua Petrus Bembus *libro singulari* & ex illo Salmuth *in Respons. Pro Matrimon. Princip. cum virg. nob. p. 71 ita scribit*, Daß / obwohl ihr Herr und Gemahl / Guido Ubaldus Hertzog zu Urbin / entweder von Natur / oder durch Zauberey zu den Ehlichen Wercken untüchtig gewesen / Sie es doch so geheim gehalten habe / daß es kein Mensch habe erfahren können / und die Unterthanen / die gerne einen Erben von jhr gehabt hetten / Jhr die Schuld der Unfruchtbarkeit gegeben. Und da nach verfliessung zwey gantzer Jahr der Junge Hertzog seiner Gemahlin solche seine Unvermögligkeit offenbahrte / Seine und Jhre Un-

Unglückseligkeit beklagte/ tröstete Ihn diese löbliche junge Fürstin und sagte mit frölichem Gemüht/ Er solte dieses Unglück gedültig erleiden/ und gedencken/ es seien Vorzeiten viel Könige gewesen nnd seien davon noch/ die keine Kinder gehabt/ es sey bißweilen besser keine Kinder haben/ weilen offt von frommen Eltern böse und gottlose Kinder gebohren werden. Was sie anbelange/ sol Er sich nicht bekümmern/ Ihre Liebe solle gegen Ihm deßwegen nicht gemindert werden: Wie Sie Ihre Jungfrauschafft zu Ihm gebracht/ also wolte Sie dieselbe biß auff Ihr Ende auch erhalten/ und keinem Menschen auch Ihrer Amme die Sache nicht offenbahren. Haben also diese beide Fürstl. Persohnen in Lieb und Einigkeit über die vierzehen Jahr dergestalt beysammen gewohnet. Und were auch die Sache nicht offenbahret worden / wenn nicht der Hertzog selbst solche dem König in Franckreich offenbahret hette/ als Er zu Ihm um Hülffe wider den Cæsarem Borgiam, der Ihn auß seinem Fürstenthum vertrieben/ sich naher Meyland begeben hätte. Hactenus Bembus:

X V I.

NOn solùm autem ad pacem concordiamque conjugalem conservandam facit præstatio debiti naturalis, sed insuper maritus uxorem alere tenetur, incongruens enim & contra naturam est, ut uxor maritum alat, per *l. si stipulata 33. §. 1. ff. de donat. inter vir. & uxor.* nisi maritus inops, uxor econtra dives sit. Surd. *de aliment. Tit.* 1. *Quæst. 35. num.6.* Fundatur autem hæc obligatio non in dote, uti nonnulli existimant, sed quia uxor inservit oneribus matrimonij, & est in obsequio mariti, Abbas *lib.2. Cons.39.num.4.* In ipsa recta ratione fundamentum habet hæc propositio, quod quis illi teneatur præstare alimenta, cujus opera quis utitur,

& indecorum ſit marito, ſi uxor fame pereat. Surd. *tract. de aliment. tit. 1. q. 32. num. 11.* quod obtinet ſive uxor dotem attulerit, ſive non, cum maritus ſibi imputare debeat, quod ſine dote uxorem duxerit *l. Nuptias 32. de R. I. l. quod ſi nulla 28. de Relig. & ſumpt. funer.* Guid. Pap. *deciſ. 439. num. 1.* qui ita judicio contradictorio practicatum refert. Latè Surd. *d. tit. 1. q. 32. num. 11. & tit. 7. q. 19. num. 1.* Vide Conſil. elegans Romani 517. per totum, Gail. *lib. 2. Obſ. 87. num. 1.* Sed quid, ſi dos ab uxore vel ejus patre ſit promiſſa, ſed non ſoluta, ut ſæpe prohdolor parentes ex mera oſtentatione amplam dotem promittunt, quam vix ſolvere poſſunt, & ſemen diſcordiæ præbent, An à marito uxori alimenta ſint præſtanda? quod multi inſignes JCti negant, Gail. *lib. 2. Obſ. 87. n. 2.* Nicol. Boer. *deciſ. 22. num. 3.* Guid. Pap. *deciſ. 439. num. 1.* Capella Tholoſan. *q. 87. n. 3.* quod approbatum à Rota Romana, uti videre eſt apud Achill. de Graſſ. *deciſ. 13.* & apud Farinac. *2. Volum. deciſ. 907. num. 3.* eadem Rota Romana *deciſ. 470. in Recollect.* Surd. *d. aliment. tit. 7. q. 17. num. 2.* ubi ex Saliceto dicit, quod uxor dicatur eſſe extra domum culpâ propria, quando non ſolvit dotem, Sanchez. *de Matrim. lib. 9. de debit. Conjug. diſp. 5. num. 2. & num. 11.* Creſcentius *deciſ. 8. d. jud.* qui citra onus alimentationis pro marito in Rota Romana declaratum commemorat. Verùm enim vero, hæc ſententia, quod ſalvâ auctoritate illorum præclarorum virorum dictum eſto, plena rigoris & vix ſolida ratione niti videtur. Quæ enim ſocietas vel obligatio non fluit ex ſolutione dotis, ſed præſuppoſito contractu conjugali ex ipſa lege naturali & jure divino, illa ob dotem promiſſam & non ſolutam non diſſolvitur. Atqui Obligatio alimentorum non fluit &c. Ergo.

Di-

Didac. Covarr. *in epitom.ad Decretal.2. p. cap. 7. num. 2.* ubi ſignanter *ad cap. per veſtras. de donat. int. Vir. & Vxor.* poſt eum Andr. Fach. *in Controverſ. jur. lib. 3. c. 48.* reſpondet, quod ibi Pontifex non ſtatuat, uxorem ob dotem non ſolutam expelli poſſe, ſed periculum eſſe, ne vir illam de facto expellat, quæ etiam mens videtur Imp. *in l.ult. C. ad SCtum Vellejan.* Oſaſci. *deciſ.132.num.18.* & alij citati â Sanchez. *d.diſp.5.n.17.* qui alia argumenta ſatis firmiter concludentia adducit. Nec hanc rationem ſubjungimus, quod maritus alia remedia juris; per quæ ab uxore vel illius patre ſolutionem extorquere poteſt, habeat, & per conſequens hoc remedium expulſionis non concedendum. Illud extra dubitationis aleam poſitum videtur, quod lite pendente, An dos conſtituta ſit ſoluta, nec ne, mulier ſit alenda, Anton. Faber *in ſuo Cod.lib.5.tit.8.d. rei Vxor. action.* & eſt elegans deciſio Senatus Neapolitani apud Afflict. *10.* ubi mulier ſeorſim habitans à viro alimenta petiit, cui oppoſitum, quod illi dos erat reſtituta, illa verò negabat reſtitutionem, & fuit pronunciatum, interim alimenta eſſe præſtanda; videſis latè Alexand. Trentaciq *var. reſol. lib.* 1. *tit. d. aliment. Reſol.1. num. 37.* idem obtinet, ſi lis pendet ſuper validitate matrimonij, Vel ſi Uxor maritum accuſat: Capell. Tholoſan. *quæſt. 88.* Surd. *d. aliment. tit.4. q.22. n. 28.* Sanchez. *d. Matrim. lib. 10. de divortio diſp.8. num.28. in fin.* & ita in Senatu deciſum refert Ludovic. à Peguer. *deciſ. 20.* Vel Uxor adulterij accuſatur. Alvar. Valaſci *conſultat. 1.* Coſta *de remed. ſubſidiar. remed. 100. num.12.* Sanchez. *d. diſp.8. num. 28.* Item, quando mulier ex capite ſævitiæ ex ædibus mariti exit, & ad thori ſeparationem agitur, Rota Romana apud Farinac. *Deciſ. 127. & 250. in 3. Vol.*

3.Vol. decis. An vero mulieri seorsim habitanti à marito debeantur alimenta? De eo agit Alexand. Trentacinq. *Var. resol. lib. 1. tit. d. aliment. resol. 1. n. 31.* Sanchez. *d. matrim. lib. 9. disp. 4. n. 19.* Generaliter dici potest, quod, quoties mulier cum viro litigat, alimenta debeant illi subministrari, Trentacinq. *d. resol. 1. n. 37.* Cephal. *lib. 1. Consil. 127.* Melinens. *decis. 16. n. 44.* Hæc verò alimenta peti possunt etiam à judice seculari, in terminis Afflict. *decis. 152. per tot.* & ibi Ursill. Surd. *d. aliment. tit. 8. privileg. 10. n. 5.* & dependet à judicis arbitrio judicare, quantum pro alimentis dari debeat, quod declarat Magon. *decis. Luccens. 73. n. 21.* decisio Rotæ Romanæ apud Farinac. *in ult. Volum. decis. 470. n. 7.* Sanchez, *d. Matrim. lib. 9. de debito conjugali Disp. 4. n. 27.* Alimenta verò à judice taxata, prout crevit inopia & necessitas, augeri & minui debent. Decisio Rotæ Romanæ 431. apud Prosp. Farinac. *in 2. tom. decis.* quæ est Cardinalis Manticæ impressa in suo Volumine Decisionum *decis. 331.* Hæc autem alimentorum præstatio non solum cibaria includit; sed eo nomine comprehenduntur omnia, quæ ad sustentandam vitam sunt necessaria, ut vestitio, habitatio, lectus & alia *per. l. 6. ff. de Aliment. vel cibar. leg.* Speidel. *in dict. notab. verb.* Unterhaltung. *n. 29.* Honestè itaque maritus uxorem vestiat, ne ipsi sit dedecori *c. omninò Dist. 31.* non verò ad arrogantiam & superbiam usque; & certè, si maritus ita mulierosus sit, ut velit vestibus ab uxore petitis continuò assentiri, nunquam expensæ finem accipient; verum enim est illud Plauti:

Negotii qui sibi volet vim parare, navem & mulierem hæc duo sibi
Comparato, nàm nullæ res duæ plus negotii habent,

Eas

Eas fortè si occeperis exornare, neque unquam
hæ duæ res satis ornantur,
Neque ejus ulla ornandi satietas est.

Confer Tholos. Syntagm. Jur. *lib. 9. c. 19. per tot.* Ad alimenta spectat, ut maritus uxori ægrotanti medicos adhibeat, ita, ut si hoc uxori deneget, lucrum ac fructus dotis amittat. Alexand. *cons. 41. n. 7. post pr. lib 7.* Anton. Bullæus *in decad. singul. Cons. 1. in resol. q. 9. & 10.* Et hæc de altero mariti officio dixisse sufficiant.

XVII.

ORdo jam suadet, ut ad defensionem uxoris, quæ ex imperio maritali & jure naturali fluit & originem habet, progrediamur. Rectè itaque maritus est legitimus defensor suæ uxoris, per quam injuria illi fieri intelligitur, & ideò non tantum uxor, si sui juris est, injuriam sibi factam exequi potest, sed etiam maritus suo nomine agere, tanquam per latus uxoris sibi quoque injuria simul sit illata. *l. 1. §. ult. l. non solùm 11. §. quanquam 7. l. 18. §. 2. ff. de injur.* quod & in sponso & sponsa receptum est. *l. 15. §. 24. ff. eod.* E contra verò, si viro sit facta injuria, uxor non agit. *l. 2. ff. eod.* quia uxores virorum, non contra viri uxorum dignitatem participant. *l. 8. ff. de senat* & qui uxoris dignitatem violat, simul mariti dignitatem quæ in ea inest, violare intelligitur; non contra. Paul. *ad Ephes. c. 5. v. 23.* si verò injuria marito facta ad contumeliam uxoris quoque directò tendat, ut si quis maritum appellet lenonem uxoris suæ, cornutum einen Hahnrey / eo casu etiam uxori actionem competere statuunt interpretes. Harpr. *ad §. 2. Inst. de Injur. n. 38.* Schneid. *ibid. n. 14.* Hoc argumento, quod marito defensio honoris incumbat, mota Cæsaris

D Octa-

Octaviani uxor, cum instigante & impellente matre Imperatoris, ideo quod gemellos pepererat, adeoq; quod fidem conjugalem non servaverit, suspecta ad ignem deduci deberet, hæc verba protulit: Ach weiser König und frommer Herr/ Ihr wisset/ da Ihr Mich zur Ehe begehret gehabt und genommen / daß Ihr mir verheissen und dazu einen teuren Eid geschworen / mein Leib und Leben zu beschirmen so wol als das Eure nach aller Möglikeit &c. Michaël Haveman *in Gamolog. Lib. 11. tit. 10.* Licet verò uxoris non sit defendere maritum, in criminalibus tamen, quando de vita mariti agitur, uxor intercedere potest. Capyc *decis. Neapol. 143.* quæ est sententia Speculator. *tit. de Procuratorib.* §. *ratione igitur. n. 1.* per *l. 3. ff. de liberal. caus.* qui textus etsi loquatur de uxore maritum ex servitute in libertatem vindicare volente, ex identitate tamen rationis rectè extenditur ad mulierem, quæ ex carcere virum liberare intendit, & in terminis, quod mulier pro marito incarcerato intervenire, agere, eum defendere atq; etiam veluti domina litis procuratorem constituere possit, decisum est Rota Romana *decis. 16.* aliàs *203. de procurat.* cujus decisionis hæ afferuntur rationes: quia uxor est conjuncta persona, quæ potest sine mandato agere. 2. quia incarceratio injusta mariti pertinet ad injuriam uxoris, cui maritus subtrahitur *l. si cum dotem 23. §. 7. ff. solut. matrim.* ubi ait JCtus. nihil tam humanum esse quam fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse. Wesenb. *part. 1. cons. 43. n. 142. & seqq.*

XVIII.

TUnc verò concordia inter conjuges maximè viget, quando maritus imperium quod habet cum moderamine & temperamento in uxorem exercet. Qua de

causa

causa Veteres olim in nuptiis Mercurium juxta Venerem collocârunt, ut ostenderent, matrimonii jucunditatem maximè ratione indigere, itemque Suadam & Gratias, ut docerent, conjuges invicem, quæ vellent impetrare debere suadendo, non pugnando: maritus enim patienter uxorem ferendo seipsum meliorem reddit. Prudenter Salomon honestam uxorem comparat Cervæ *Prov. c. 5. v. 19.* cum loquitur, Freue dich des Weibes deiner Jugend/ sie ist lieblich wie eine Hinde/ und holdselig wie ein Reh/ lasse dich Ihre Lieb allzeit sättigen/ und ergetze dich allzeit in Ihrer Liebe. D. Luther *in gloss. add. v. 19.* sagt/ diß sey so viel geredt/ als bleibe bei deinem Weibe und halte dein Gut daß du es nicht umbringest mit Huren/ dann **kein lieblicher Wesen auff Erden ist / als wo sich Mann und Weib freundlich zusammen halten.** Notent hoc morosi illi mariti, qui statim, si forsan à muliercula quid erratum fuerit, aut etiam sine causa more canino latrant, flagrantes & minaces oculos habent, labia quatiunt, dentes comprimunt, & ad verbera descendendum putant. Omnia prius verbis sapientem quam pugnis experiri oportet. Si verò mulier sit tam procax ac malitiosa, ut nil proficiant monitiones mariti & cognatorum, cognitionem sibi sumat Magistratus aut loci illius consistorium litibus connubialibus in plerisque Rebuspubl. decidendis adornatum, uti olim in sacello Deæ Viriplacæ redigebantur ad concordiam, testante Valer. Max. *lib. 2. c. 1.*

X I X.

VIri autem in uxorẽ imperium humano generi coævum est. Habet id juris vir & naturæ privilegio & Dei

Dei decreto. Utrumque ſacra commonſtrat pagina. Et illud quidem rationibus ſeu argumentis adſtructum tribus. Primo ducto à Creationis ordine: Vir primò creatus eſt; deinde mulier, eminentioris in viro dignitatis ſignum indubium: altero à ſexus muliebris infirmitate, mulier enim, (inquit Apoſt. *1. Timoth. 2. v. 13. 14.*) decepta eſt, non vir, intellige à ſerpente, qui præterito viro adortus eſt mulierem. Poſtremo tracto à fine argumento, in quo mulierem Deus finxit, ut viro cederet in opem laborumque adjutorium. Æquum verò eſt, ut imbecillius pareat valentiori, minus illuſtre eminentiori, pars adjutrix ei, cui operam præſtare addicta eſt. Ne dicam, quod naturâ major ſit viri ad res gerendas aptitudo. Annon cernimus, inquit Cicero *de Republ. 3.* optimo cuique dominatum à natura cum ſumma utilitate in infirmiorem datum. Turpis itaque ac miſeranda eſſet maritalis majeſtatis diminutio, ut vir ſerviat qui caput eſt, niſi ceſſerit illi matrimonium in ſervitutem pœnæ, quæ ſolet inferre capitis diminutionem. De ſexu verò in univerſum loquimur, non de ſingulis mulierum; non paucas enim reperies, quæ altum ſtertentibus maritis ſumma cum ſagacitate quæſtuoſa negotia tractant. Habet itaq; maritalis poteſtas à natura ortum, adeoque auctorem naturæ opificem Deum ſed & expreſſo Dei enunciato illa poteſtas conſtabilitur, quod alterum ejus eſt argumentum. Mulier enim ſerpentis illecebris capta, fraudem cum feciſſet conditoris ſanctioni, pertracto in conſortium peccati viro, dedit & hanc admiſſi pœnam, ut viri in ſe imperium inſtar jugi cujusdam humeris impoſiti ferre damnas fuerit, vibrato in eam decretorio hoc telo: Penes virum erit deſiderium tuum, & ipſe dominabitur tibi. Non quod lapſu

pſu

psu anterior non fuerit hæc potestas, obtinuisse enim jam ante in ipso primævo innocentiæ statu adductæ ab Apostolo rationes evincunt; sed quod ea quæ ab initio naturalis fuit, adeoque ipsi mulieri suavis, infecta peccati labe, effecta fuerit pœnalis, & proinde gravis non nihil & perpessu aspera, adeò ut rectè dici possit, tam natam quam datam legem esse, ut vir imperet, velut hoc Dei voce datum est: Dominetur uxori.

X X.

QUousque verò se protendat viri in castiganda uxore potestas, ad quę obsequia sibi præstãda vir jus habeat compellendæ uxoris, obvia est tractatio in Politicorum & œconomicorum libris, quorum frugem demetere nostrum non est propositum, quanquam, ut nunc sunt mores, frustra erimus, si jus & Majestatem virorum asserere institueremus, quam illi quà publicè qua privatim obteri passim & calcari sinunt. Honos quidem habendus, dictante sacra Pagina, mulieri tanquam vasculo infirmiori, ne scilicet conculcetur à viro, sicut honos habetur crystallinis vasis, quæ sollicitè tractantur; nec enim plagæ conducunt sterilibus ad fœcunditatem, gravidis ad faciliorem partum, ut persuasere sibi Romanæ illæ mulieres discursantes in Lupercalibus, de quibus Plutarch. *in Cæsare.* Nec illis assentimur, qui propterea comam mulieribus relinqui dicunt, ut habeant mariti quo eas trahere possint & ligare, ut voluit par illud JCtorum citatum ab Arnisæo *d. Iure Connub. c. ult. sect. 1. n. 4.* cum multò aliter tractandæ videantur fœmellæ; & contumeliosum sit uxorem verberare, sævitiamque aliam adversus ipsam exercere, Glossa & Panormit. *in c. quemadmodum X. de Iurejurand.* Carpz. *Iurisprud. Consist. lib. 2. tit. 2. def. 221.* Væ thalamo illi, qui maritum verbera infe-

rentem videt, & plagas illatas cum planctu querentem audit! Morigera & obsequiosa esto uxor, non tamen serva, nec servili modo tractanda: Caveat iracundiam, sed ejus sævitiam non sentiat, ipsius imperium lubens agnoscat, sed agnoscere non cogatur, omnia quæ uxoris sunt, ultro exequatur, & tunc nullus sensus imperii, nulla vis subjectionis voluntariæ. Quid verò, si pudoris & sexus oblita mulier imperium in maritum sibi tabulis antenuptialibus adscripserit, adeoq; turbato naturæ & Dei ordine pepegerit, ut ipsa non in viri, sed è contra vir in sua potestate foret, vel quod minus videtur, ne saltem viro sit subdita, aut ejus in se caput cogatur agnoscere? Bodin. *de Republ. l. 1. c. 3. in fine* nõ dubitat eo modo in cõtrahendis nuptiis uxores aliquando stipulari cõsuevisse, & benè affirmat pugnare talia pacta cum legibus divinis & humanis, cumque honestate, adeoq; non ferenda, ut maximè jurejurando fuerint corroborata. Et profectò si jure nostro Civili pactio reprobatur, ne inter conjuges judicium de moribus locum habeat *l. 5. ff. de pact. dot.* si pactum inefficax sit, quod vult, filium suum non esse, *l. jus agnat. ff. de pact.* quomodo illa pactio sustineatur, quæ bonos mores plane pervertit, qua cavetur, ut ea quæ nubit viro non sit viro subdita, vel ut qui dominus est, non sit dominus. Juris naturæ præceptum est, uxores potestati maritorum subjectæ sunto. Itaque pactum, ne viris subditæ sint, tanquam juris illius everriculum, nullius momenti est. Lex civilis nihil in universum potest præcipere, quod jus naturale prohibet, aut prohibere quod præcipit.

XXI.

REctè Aristoteles *lib. 8. Ethic. c. 10. & 11.* imperium Regium attribuit Patri in liberos, Aristocraticum

marito

marito in uxorem. Et bene scribit Publitius, quod uxor non sit sub potestate viri, sed potius sub ejus o' sequio, sic enim per conjugium uxor fit socia. *l. 1. ff. de Rit. Nupt. l. 4. C. de crim. expil. hered.* quæ societas (ut Cassius & Nerva loquuntur in *l. 1. ff. de act. rer amot.*) quodammodo eam dominam efficit & licet uxor sit sub marito, tamen maritus eam sibi subesse neget, hinc maritus apud Scævol. uxorem suam in Testamento dominam vocat *l. 41. pr.* ibi; Peto à te domina uxor *ff. de legat. 3.* Et uxor in *l. Titia 19. §. 1. ff. de ann. legat.* Domina sanctissima appellatur. Quemadmodum etiam illa uxoris subjectio non operatur, ut maritus in uxorem dominium vel Jurisdictionem exercere possit. Nicol. Betsius *de Pact. famil. Illust. c. 8.* quod multo magis obtinet in uxore Illustri. i.e. Principis vel Comitis, quia Principis Imperii uxor non minus est Imperio Germanico immediatè subjecta, quam ipse Princeps maritus, & sic maritus Princeps in causa uxoris Illustris Judicem competentem vel a lam Imperatoriam, vel Cameram Imperialem, vel austregas, secundum qualitatem causæ adire debet. Ac multorum judicio vapulat Saxoniæ Princeps Johannes Casimirus, quod in causa uxoris suæ propriam Jurisdictionem exercere maluerit. Arnis. *d. Connub. cap. 7. sect. 5.* Renat. Chopp. *de doman. lib. 3. tit. 5. n. 5.* Quod si itaque Princeps aut Comes Imperii uxorem suam durius quam par est corrigat, Sacra Cæsarea Majestas ad partis instantiam auctoritatem suam interponat, uti Ferdinand. III. in causa Georgii Johannis Comitis Palatini & uxoris Susannæ Anno 1641. commissionem ad cognitionem & reconciliationem decrevit. Ex his quæ supra de uxore Illustri diximus, colligi potest, quod uxor Imperii Illustris non ligetur statutis à Princi-

pe ma-

pe marito promulgatis. Jacob Menoch. *conf. 264. n. 28. & 55. lib. 3.* Joach. Wibel *de contract. mulier. c. 2. §. 4. n. 50. & seqq.* Dissent. Albert- Brunn. tract, *stantib. mascul. fœminas non succed. art. 6. n. 67.* Hæ verò uxores illustres non in omnibus eodem jure, quo uxores privatæ utuntur. Non enim vivunt in communione bonorum cum Principe marito, nec de bonis constante matrimonio marito à Principe acquisitis quicquam ad illas devolvitur, sed post mortem mariti dotalitio constituto contentæ vivere coguntur. Benè Renat. Chopp. scribit: Connubiale istud honorum & dignitatis consortium, non inducit fortunarum consortium, Vix est enim, ut Rex, Curator Reipublicæ ac Mysticus adeò conjux alteri acquirat, ex fiscali præsertim Ærario, nihilo magis quam res fisci administrans qui publico ære fundum mercatus est. *l. Curator. C. arbitr. Tutel. c. requirendum X. de pecul. clericor.* Veluti de Ducum Ferrariæ uxoribus deducit Roland. à Valle *d. lucro dotis q. 83. 84.* Chopp. *de domin. Princip. lib. 3. tit. 5. n. 6.* Porro, licet lege positiva Romanorum mulieres fidejubendo obligari non possint, *l. 3. ff. de Fidei.* ne ob sexus fragilitatem damnum rei familiaris sentiant. *l. 1. ff. ad SCtum Vellei.* Hering. *de Fidejussorib. c. 7. n. 3.* hoc tamen fallit in fœminis Illustribus, quæ ad regiminis clavum sedentes præsumtioni impudentiæ aut imbecillis judicii locum non relinquunt, ideoque si fidem pro aliis interponat, non aliter ac mariti tenentur. Sic in Imperio Romano Abbatissæ aut Viduæ tutelam nomine filiorum Illustrium gerentes jus dicunt, commissiones exercent, Arbitri officium suscipiunt, laudum proferunt, aliaque virilia officia exercent, & sic absque dubio efficaciter fidejubere possunt; ita in terminis com-

mis-

missionis Rulant *de Commiss. p. 1. lib. 1, c. 29. n. 6.* &in causa fidejussionis Hering. *d. tract. c. 7. n. 512. & seqq.*

X X I.

INsigne est vinculum stabiliendæ pacis inter conjuges, si maritus rem familiarem probè curet, facultates suas augeat, & ad familiæ bonum dirigat. Hæc est prudentia œconomica, quam passim commendant sacræ literæ, Proverb. *24. v. 3.* quæ ædificet domum & divitias paret. Eccles. *9. v. 18.* melior sit, quàm fortitudo. Aristot. *2. polit. 8.* hujus duas partes facit, nempe χρηματιστικὴν, id est, quæsitoriam & κτητικὴν, artem possidendi & conservandi. Idem *1. œcon. 1. & 1. Eth. 1.* Domesticæ rationis enim est, ut domus paretur & usurpetur. Senec. *Epist. 101.* scientiam quærendi & custodiendi vocat, Et *lib. 2. de benefic. 34.* alteram partem, scientiam re familiari moderatè utendi. Prudentiam hanc œconomicam præ muliere scire &in usum deducere debet maritus. Ita Cato Censorius dicebat, non viri sed mulieris viduæ esse aliquid de fortunis diminuere. Insignem autem virum appellavit illum, qui in rebus patrimonii plus relinquat, quàm quod adjecerit. Plut. *in ejus vit.* hoc est, qui ita rationes suas instituit, ut multū acquirat, parum expendat, nihil amittat, quem brevi locupletem fore non est dubium. Ad obtinendum illum finem duo requiruntur; Fortuna & Industria, quæ si sunt conjuncta, incrementum patrimonii annexum habent, & brevi tempore opes cumulantur, sicuti Jacobo Patriarchæ contigit, *Gen. 30. v. 30.* etiam Ethnicis consentientibus, qui virtuti fortunam conjungi volunt, sicut de Cyro testatur Xenophon *in OEcon. cap. 8.* Huc pertinet symbolum: VIRTUTE DUCE, COMITE FORTUNA, sive, ut Jason portæ suæ inscripsit VIRTUTI FORTU-

NA COMES. Exempla piorum in sacris extant, qui prospera fortuna usi sunt, *Eccles. 1. v. 20. Psalm. 1. v. 3. Gen. 24. v. 35. & 39. v. 3.* Quod si præter spem & opinionem nobis aliquid prosperi contingat, ad Deum erit recurrendum, utpote fontem & largitorem omnis boni: Syrac. *11. v. 14. & 23. & c. 33. v. 17.* cujus benedictio sicut flumen irrigat terram. Syrac. *40. v. 27. Psalm. 65. v. 10.* Hæc divina benedictio est causa humanæ felicitatis, & divites facit sine afflictione, *Prov. 10. v. 12.* Luther. *ad Eccles. 3. in fin.* Laß dich heute begnügen/ Morgen kombt auch Tag und Raht/ an Gottes Segen ist alles gelegen. Et Deus sine labore aliquem locupletare potest juxta illud Davidis. *Psalm. 127. v. 3.* Seinen Freunden gibt Ers schlaffend. In hoc statu Oeconomico tanquam in Academia vitæ humanæ conjuges ad pietatem exercentur, de quo Stigel. Poëta, quem refert Ern. Cothman. 2. *cons. 78. n. 114.*

Conjugium humanæ quædam est Academia vitæ,
In quo nemo satis se didicisse putet.

Hoc est Gymnasium quoddam virtutis, γλυκύπικρ⊛, dulce-amarum.

XXII.

ET hæc de iis quæ marito competunt dixisse sufficiant, jam paucis videbimus, qualem se uxor præbere debeat. Nempe consistit ejus officium 1. In præstatione debiti naturalis. 2. In honoris ac obedientiæ exhibitione, & 3. In Communione domicilii. Primum, præstationem scilicet debiti naturalis, quod attinet, de eo ita loquitur Ulpianus in *l. 14. §. 1. ff. de AEdil. edict.* Maximum ac præcipuum munus fœminarum est, concipere ac tueri conceptum. Cui consona traduntur à Justiniano in *l. 2. §. 1. C. de Ind. vid. toll.*

& *L.*

& *L. misc tollend.* ubi dicit: quod mulieres ad hoc naturâ procreatæ sint, ut partus edant; & addit Imperator, maximam mulieribus cupiditatem in hoc constitutam esse. Diximus autem officii mulieris esse, non tantum concipere, sed & tueri conceptum. Unde quæcunq; tuitioni isti sunt contraria, illa sumo studio vitare ac avertere debet fœmina, qualia sunt, abortui causam dare, sive per cincturam nimis strictam, sive per saltationẽ im̃odicam, sive per variorũ ciborum ingurgitationem, sive per consternationẽ subitam, sive aliũ quemvis modũ, quem ei rei causam dare docuit docta Hippocratis schola, & dudam varia in omnis ætatis historiis occurrentia exẽpla affatim probant, quorum quadam adduxit Schonborn. *in polit. l.1.c.6.* Ex eodem quasi fonte fluit, quid sentiendum sit de illis, qui vel planè abigunt partum, vel crudeliter abjiciunt. Illud nullo modo permittendum Impp. putarunt, cum pro diversitate sceleris, ejusque circumstantiis, modo exilium, modo pœnam L. Cornel. de Sicar. modo L. Pompej. de Parricid. ejusmodi monstrosis, ac in proprium sanguinem furentibus matribus dictavêre, ceu apparet ex *l. 4. &. gloss. ibid. ff. de extraord. criminib.* & *l. 1. ad L. Pompej. de Parricid. l. pen. C. de Sicar. l. 29. ff. de Pœn.* & aliis passim. Quibus consona videri possunt in Const. Carol. V. *art. 131. & 133.* ibique Steph. *in not.* Idem quoque obtinere jure Saxon. Elect. ex ejusd. *Const. 4. part. 4.* probat Carpz. *1. q. 11.* Posterius, abjicere sc. crudeliter partum, de prostibulis potius, quam matronis præsumendum videtur, & aliquando partus noviter editos ac abjectos divinâ ope servatos esse, historia um monumenta nobis affatim probant. Sufficiat tamen hic ex Livio adduxisse in scenam Romulum & Remum, lactentes ubera Lupæ. Ex Justino Hieronem, Syracu-

ſarum poſtmodum Tyrannum, quem ex ancilla natum, & propterea tanquam dehoneſtamentum generis abjectum, apes, congeſto circa jacentem melle, multis diebus aluêre, & quæ alia multa huc adduci poſſint, niſi ulterius movendum ſit. Nos tamen hoc non ita intellectum volumus, quaſi quicquid, quocumque modo & forma pariat mulier, illud fovere & nutrire teneatur, ſed cum contingere poſſit, partum non edi humanâ formâ, quales JCtis monſtra vocantur, ea neutiquam alenda, ſed abjicienda putamus, uti ea& ante nos occidi juſſit ſapientiſſimus Spartanorum Legiſlator Lycurgus, teſte Plutarch. in Lycurg. Et idem de mõſtro tempore Imperat. Mauritii edito, ejusq; juſſu occiſo. teſtatur Niceph. *lib. 6. hiſt. 38.* Facit. *l. 14. de ſtat. hom. l. 38. l. 135. ff. d. V. S. l. pen. C. de hered. Inſt.* ubi addimus, quod inter monſtra tamen non quilibet partus numerandi ſint, in quibus natura aliquo modo aberravit, fortè ampliando membrorum humanorum officia, ut loq. *d. l. 14. ff. de ſtat. hom.* ſed in quibus partes maximè principales, qualis eſt caput, planè alteratæ ſunt, qualem & noſtrum ſeculum aliquando produxit, humanâ ſcilicet peralia formâ, ſed capite & voce vitulinâ, & ex conſilio Nobiliſſ. alicubi facultatis Juridicæ ſuffocatus eſt.

XXIII.

PArtu itaque legitimè edito, mater tenetur eundem alere. Nimirum, cum natura eo fini matri binas mammas ſuppeditaverit, ea has ad debitum finem, nutritionem ſcilicet partus, applicare & dirigere, nec niſi in caſu ſummæ neceſſitatis, quæ legem non habet, *c. quanto X. de Conſuetud. l. 10. ubi gl. 5. neceſſitatem ff. communi dividund.* & ex non licito facit licitum *c. quod non eſt licitum X. de R. I. c. ſicut, diſt. 1.* ſive infirmitatis

ve-

vel alius accidentis ſymptomatis, wenn die Mutter ihr Kind ſelbſten zu ſeugen nicht vermag/ vel aliâ ſuadente & perſuadente ratione, cum ad nutricandum alij fœminæ quam nutricem eine Amme vulgò vocamus, committere debet, cum ex tali unà cum lacte mores ac vitia ejuſdem exſugant, quod ex Gell. probavimus, & rationem eſſe diſſimilis parentum & liberorum naturæ diximus. vid. Michael Beuterus *Comment. ad Tacitum de moribus. Germanor.* Longè aliter Radix noſtra communis, veteres nempe Germani, teſte Tacito, procedebant; Suis, inquit Hiſtoricus iſte Germanis alias infenſiſſimus, veritati amiciſſimus, quemque uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur. Et quidem, quid erubeſcat fieri nutrix, quæ non erubuit fieri mater? ſicuti ad hunc ſenſum loquitur alicubi quoad eloquentiam Plato redivivus Chryſoſtomus *in Pſalm. 50. Homil. 1.* Facit locus Ciceronis *in orat. pr. dom. ſua,* Cuinam mulieri dedecori eſſe poteſt lactare filium, quem ex propriis viſceribus eduxit, novemque integris menſibus plus minuſve in penitiſſimis, abditiſſimis, reconditiſſimis uteri viſceribus proprio ſanguine aluit.

XXIV.

Illa verò quæſtio non incommodè hic moveri poteſt: An ex ratione vera ſeu apparenti Status, Reges qui ſummum imperium habent, ob ſterilitatem conjugis vinculum ſolvere, & aliam virginem ex familia illuſtri nata, in uxorem ducere poſſint? De Francorum Rege Dagoberto legimus, quod ob illam cauſam uxorem ad patrios Lares remiſerit, Petr. Ærod. *lib. 4. rer. judic.*

mosissimâ Sueviæ puellâ, Gothofredi Alemannorum Ducis filiâ, Abb. Ursperg. *in Chron. Suev. sub Carol. Magno.* Ex eadem causa ferè, Gallorum Rex Ludovicus VIII. Eleonoram Ducis Guinacæ filiam demisit, quod divortium colore & prætextu consanguinitatis excusare voluit, Petr. Matth. *in Vita Henric. IV. tom. 2, lib. 3.* Notum quoque exemplum divortij Galliarum Regis Henrici IV. Sic enim cum Margarita Valesia, Henrici II. filia, & Caroli IX. sorore contractum conjugium, ob defectum prolis à Pontifice Romano Clemente VIII. Anno M. D C. deliberantibus nonnullis Cardinalibus, per sententiam nullum fuit declaratum, ne Regia stirps extingueretur Thuan, *Hist. lib. 125.* Verum, si rem ex genuinis principiis perpendamus, nos intrepidè affirmamus, sterilitatem ex ratione status consideratam, sufficientem causam divortij non esse, & est elegans sententia B. Augustin. *in lib. d. bon. conjug. cap. 7. caus. 32. q. 8. c. 27.* quod responsum Augustini Christiani semper approbarunt, & Ecclesia observavit, Sanchez. *d. Matrim lib 7. disp. 92. n. 26.* Nam sterilitas â Deo provenit, quam Sara confitetur, Genes. *16. vid. Psal. 113.* quod & comprobatur exemplo Lotharij Regis, de quo in *cap. Lothar. 4. caus. 31. q. 2.* Arnis. *d. jur. Connub. c. 2. sect. 2. n.* 11. Petr. Ærod. *rer. judicat. lib. 4. tit. 17. cap. 4.* cordatè scribit, *Nobis, qui Christiani sumus, nullum est legitimum tempus petendi divortium ex causa sterilitatis*, latè Arnisæus *d. jur. Connub. cap. 6. sect. 8. n. 5. & seqq.* Nicol. Myler ab Ehrnbach *Gamologia Person. Imp. Illustr. cap. 4.*

X X V.

AD officium mulieris secundò spectat præstatio honoris & obsequii, quod quidem juri naturæ consenta-

taneum eſſe, & maximè facere, tum ad privatæ cujusvis familiæ, tum univerſitatis ac Reipublicæ ſalutem & commodum, negari non poteſt. De poſteriori expreſsè Euripides: Nihil, inquit, non modo ad familiarum, ſed etiam Rerumpublicarum ſalutem & dignitatem majus & melius, quam honeſta uxorum erga maritos obſequia tueri. Unde non immeritò Apoſtolus *ad Epheſ. 5. v. 22.* Mulieres jubet eſſe ſubditos viris. Si jus naturæ ſcires, (ait Megiſtona Timoleontis uxor, reprehendens Ariſtotimum Elienſem Tyrannum, quod ipſam juberet imperatorias ad virum literas ſcribere,) non utique juberes viris ſuis mulieres quicquam præſcribere, ſed nos ad ipſos, tanquam dominos noſtros, permitteres proficiſci, uti teſtatur de ea Plutarch. *de Clar. mulierib.* cit. Arniſæo *Lib. 1. polit. c. 3.* Eadem quoque natura ipſos docuit comam alere in ſignum ſubjectionis, quod, uti ait Lucianus, retro ſparſa coma ſervitutis indicium præbeat, quemadmodum Romani pueros ante annos liberæ pubertatis tondere non ſolebant, uti innuit Horat. *Lib. 4. Od. 10.* ibique Scholiaſt. Appoſitè Concilium Gangrenſe ſtatuit: Quæcunque mulier religioni judicans convenire, comam ſibi amputaverit, quam Deus ad velamen ejus, & ad memoriam ſubjectionis illi dedit, tanquam reſolvens jus ſubjectionis, anathema ſit, *c. quæcunque. diſt. 30.* Et ſanè maxima eſt infamia viro, ſi mulieris imperio ſe ſubjiciat, quo facit illud Ciceronis, quod citat Arniſæus *d. l.* An ille mihi, inquit, videtur liber, cui mulier imperat, cui leges præſcribit, jubet, vetat quod videtur, cui

Zeit hero nicht beygewohnet/ und ihr eingebrachtes Gut auß verleitung Ihres Kriegischen Vormünders entzogen/ derowegen zu Ehelicher Beiwohnung und Darreichung der Nützung von Ihren Gütern sie abzuhalten gebeten/ Beklagte aber weder der Desertion, Verleitung oder Vorenthaltung einiger Nützung Ihres eingebrachten Gutes geständig gewesen/ sondern darwider exceptivè eingewendet / daß sie mit stetswehrender Kranckheit beladen/ von Ihrem Manne keinen Unterhalt erlangen können/ und wegen Abfals seiner Nahrung in Gefahr stünde / daß sie um Ihre Armut gäntzlich gebracht werden müchte/ Alß haben Wir der Beklagten aufferlegt/ Ihrem Ehemann nicht allein zu Tische/ sondern auch / so viel ihr wegen der angezogenen Kranckheit möglich/ zu Bette beizuwohnen / und die Abnützung von ihrem Vermögen ohne Abbruch zu reichen/ dagegen soll Ihr von dem Mann nohttürfftiger Unterhalt verschaffet werden. Uti enim mulier splendet honore & dignitate mariti, *l.8.ff. de Senat.* & quamvis viro per mortem privetur, tamen retinet dignitatem defuncti. *l.ult.ff.eod.* ita etiam commune cum viro domicilium habere debet, ne vagus à thalamis conjugis erret amor, ait jam supra citatus Martial. *lib.12. epigramm. in fin.* & mariti forum sortitur mulier *l. 19. ff. de Iurisdict.* domus enim mariti est domicilium matrimonii *l. 5. in fin. de Rit. Nupt.* facit *l. ult. C. de Incol. l. 65. ff. de Iudic.* Unde absint à nobis Caricæ mulieres, quarum nulla cum marito cibum capit. Herod: *Lib. 1.p.60.* Quæritur autem hic, si mulier nacta sit virum vagabundum, v. g. Empiricum, Utrum illum per saxa per ignes sequi te-

qui non videatur cogenda, cum mulier sibi imputare debeat, quod tam temere in eum irruerit, neque prius in vitam & mores ejus inquisiverit, cum quilibet non debeat esse ignarus ejus conditionis, cum quo contrahit. Unaquæque mulier, inquit Augustin. sequitur virum suum in vita & morte. *Caus. 13. q. 2. c. 3.* Dissentit Schönborn. *loco supr. cit.* Schneid. *tit. de Nupt. p. 4. n. 47.* Vagabundi verò quinam sint, notat Gail. 1. *Obs. 1. n. 34.* & adeò verum hoc existimamus, ut & in casu, quo alibi necessariò vivendum, uxor non sit dimovenda à consortio viri. Hackelman *disp. de Nupt. Thes. 12.* & bannitum quoque uxor sequi teneatur. vid. *l. 24. C. de donat. in t. vir. & ux. & l. 1. C. de repud.* Sic etiam Luther. *in c. 4. Genes.* sentit, uxorem Cain post fratricidium commissum sequutam esse maritum, & coactā ferre partem calamitatū mariti. Schneid. *d. l. p. 49.*

XXVII.

QUid verò, si tanta sit sævitia mariti, ut cum eo sine discrimine vitæ uxor cohabitare non possit? Hoc casu aut sequestrationi locus esse potest, aut etiam separationi quo ad thorum & mensam; sequestrata autem non est restituenda, etiamsi maritus cautionem de non offendendo præstare voluerit, nisi constet eum ad meliorem mentem rediisse, satisdatio enim propositum malevolum non mutat, & damnum hic subest irreparabile *c. ex transmissa 8. X. de restit. spoliat.* ad d. Cludius *de jure sequestrat. c. 10. n. 7.* Si autem nulla reconciliatio speranda, quæ tamen semper tentari ac præcedere debet, ad extremum illud, videlicet separationem quo ad thorum & mensam magistratus descendere potest, ad majora mala, videlicet homicidium, veneficium aliaque crimina præcavenda, prout praxis Consistoriorum Ecclesiasticorum edocet. Carpz. *Jurisprud. Consistorial. lib. 2. tit. 12. def. 211.* Græv. ad Gail.

Lib.1. Concluſ.17. conſ.3.n.2. Sic ſævitia ſponſi impedit, quo minus cum eo ſponſa matrimonium contrahere cogatur, melius enim eſt intacta jura ſervare, quàm poſt vulneratam cauſam remedium quærere, *l.1. C. quand. liceat unicuique ſine jud. ſe vindic. l.ult. in fin. C. in quib. cauſ. reſtitut. in integr. non eſt neceſſ.* Carpz. *d. lib.2. def. 212;* Quæritur autem, An facta ſeparatione quo ad thorum & menſam, maritus nihilominus uxori alimenta præſtare ſit obſtrictus? Quod affirmatur, quia per ejuſmodi ſeparationem, conjugij vinculum non ſolvitur, & ideo maritus à præſtatione alimentorum, durante illorum cauſa, vinculo ſcilicet matrimoniali, non liberatur, & ita à Senatu Mantuano deciſum fuiſſe, ex Joan. Petro Surd. *tract. de alim. tit.1. q,118.n.5.* notat Græv. ad Gail. *d l.n.*8. & præjudicio confirmat Carpz. *d. l.def. 13.* In Sachen Chriſtinen Hanſen N. Eheweibes Klägerin an einen/ und jetzo gedachten Ihren Eheman beklagten andern Theils &c. Darauß allenthalben ſo viel erſcheinet/ daß Klägerin ihrem Ehemanne zu Tiſche und Bette wider ihren Willen ferner beyzuwohnen nicht angehalten werden mag/ Er habe Ihr dann zuvor der geklagten ſævitien halber gnugſamen Vorſtand beſtellt/ inzwiſchen iſt er ihr die drey mit Ihm erzeugte Töchterlein nebeſt ihren Betten und Kleidern folgen zu laſſen/ Ihnen auch zu Ihrem Unterhalt wochentlich 2. ℞. und jetzo alſobald der Klägerin vor die auffgewandte Unkoſten und 5. Wochen aliment Gelder (ſo zu ſammen auff 12. ℞. 9. gr. hiemit gemäſſiget werden) zu entrichten ſchuldig &c. Notandum, quod alimentorum nomine etiam comprehen-

in uxorem C. de negot.gest. Joach à Beust *de Jure connub. p.2.c.9. in fin.* Liberatur etiam ab hâc præstatione alimentorum maritus, si bona illata restituat, & quidem ex his rationibus quas adducit Carpzov. *def.214. n.8.& seqq.* (1) Ne uxori idem bis exsolvatur, quod bona fides non admittit *l. bona fides 57.ff.de R.I.* nec duplici onere gravetur maritus. (2.) Quia præter alimenta necessaria uxori nihil debetur, quæ alimenta ex fructibus bonorum illatorum capere potest. (3.) quod alimenta succedant in locũ usurarum & fructuũ dotis illatæ. vid. Carpz. *d. def. 214. per tot.*

XXVIII.

Videbantur nunc adducenda esse media & modi, quibus uterque conjugum officia sua & prædicta munia exactè obire, & per consequens omnem discordiæ domesticæ ansam præcidere queant, nisi necessitas nos vela contrahere, & hæc decidenda hujus materiæ practicis submittere juberet, quocirca nos vasa colligimus, postquam uxores quascunque informandas dederimus Alcumenæ Amphytrionis uxori apud Plautum, quæ talia, albo certe lapillo ab omnibus notanda verba profert, & alloquitur maritum:

Non ego illam mihi dotem dico, quæ dos dicitur,
Sed pudicitiam & pudorem, & sedatam cupidinem,
Deûm metum, parentum amorem, & cognatum concordiam.
Tibi morigera, atque ut munifica sim bonis, prosim omnibus.

Et ut summatim dicam, ita uxor erga maritum se præbeat, ut nil magis quam obsequii gloriam amplectatur, nihil ex fastigio maritorum præter gaudium sibi vindicet, ita se vestiat, ut pro dignitate mariti membra quidem honestè tegat, at animi lasciviam nequaquam denudet aut aperiat. Induta sit fœmina, ait D. Paulus, habitu pudoris & castitatis: hâc virtute fœmina se dignam facit laudabili illa corona, ut sit in terris felix, & in cœlo beatissima, & maritus, cum quo in summa concordia sine rixis & jurgiis vixit, ob insignem morum sanctitatem, castitatem, pudicitiam & eximiam erga liberos pietatem, monumentum cum hoc elogio erigere possit:

AH! UXOR MEA CHARISSIMA, NIHIL UNQUAM PECCASTI, NISI QUOD MORTUA ES!

T A N T U M!

